

DISSERTATIO EXEGETICA
THEOLOGICA

CLERICVS
PERCVSSOR

EX I. TIM. III, 3. ET TIT. I, 7.
DESCRIPTVS.

QVEM
PRÆSIDE

DN. JOANNE FECHTIO,

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO LONGE CELEBERRIMO, FACVLTATIS
THEOLOGICÆ SENIORE GRAVISSIMO, CONSIST.
DVC. ASSESSORE ET DISTR. ROSTOCH. SVPER.
INTENDENTE VIGILANTISSIMO,

H. L. Q. C.

DIE XXVIII. NOV. A CID ID CC VIII.

IN CELEBERRIMA ROSTOCHIENSI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT

JACOBVS HARDER,

ANGLO - SCHLESVICENSIS.

VITEMBERGÆ,

EX OFFICINA EICHSFELDIANA.

Coll. diss. A
32, 42

1735.

(5.)

~~41.~~
a. XXXII. 42

D I S S E R T A T I O E X P O S I T I O N A

G E O R G I O S

P R O F E S S O R

PHYSICAE



PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE



Q. D. B. V.

§. I.



Anta est ut omnium scientiarum Exordium.
practicarum, ita imprimis quo-
que Theologiae Moralis digni-
tas, tantaque praestantia, ut ne-
sciam, qui fiat, quod tam raro,
qui Theologiae operam dant,
huic eiusdem parti in disputa-

tionum exercitiis operam impendant, quodque
inter multos illos viros, qui tum sana & solida do-
ctrina, tum singulari pietate conspicui per Dei grati-
am Academias nostras exornant, non ita multi inve-
niantur, qui in materias morales operam atque stu-
dium suum conferant. Tantum quidem abest, ut
eos, qui in defendenda veritate Divina adversariisque
redarguendis omne studium omnemque aetatem su-
am consumunt, improbemus, ut potius eorum ope-
ram atque industriam honorifice praedicemus sum-
misque ad coelum efferamus laudibus. Neque eo-
rum suffragari possumus ineptiis, qui ex indifferen-
tistico quodam principio omnia ea, quae non imme-

A

diate

diante ad emendationem morum ac pietatis praxin ducunt, contemnere atque reiicere solent. Sed hoc tantum contendimus, materias practicas cum theticis & polemicis ita esse connexas, ut neque sine conjunctione sufficienter intelligi, neque christiani hominis officium sine utroque consistere possit. Intellectus enim non tantum mysteriorum notitia imbui, sed etiam agendorum doctrina instrui debet. Quamquam enim vera notitia sine vera pietate, haec autem sine illa esse nequeat: Vitae tamen morumque emendatio totius Theologiae finis est, omniaque, quae in Theologia, quam vocant, thetica traduntur, propterea traduntur atque creduntur, ut Deum vere colere ac recte vivere queamus. Hoc autem Theologia thetica mediate, moralis immediate docet. Ac quid homini Christiano jucundius esse potest, quam quid sibi faciendum, quid fugiendum sit, exacte scire? quid denique gratius, quam suam aliorumque vitam ad normam legis divinae examinare posse? Atque iterum nos doctrina Moralis docere debet. Quapropter cum ante abitum meum ex illustri hac Academia publice disputare cuperem, non potuit non mihi aridere praesens de CLERICO PERCVSSORE (titulo ex Sacris Pandectis & Iure Canonico desumpto) materia. Non quidem, quod eam digne me pertractare posse confidam: hoc enim & ingenii mei imbecillitas & nimia temporis angustia vetat; sed ut Venerabilis Domini Praesidis mei consilio auxilioque adiutus tum in sacratori hoc studio, tum in disputando me exerceam. Fundamenti loco toti dissertationi substernemus verba illa Pauli, 1. Tim. III. 3. & Tit. I. 7. *occurrentia: δὲ τὸν ἐπίσκοπον μὴ εἶναι πλήκτην.* Methodum

dum

dum autem quod attinet, primum singula textus verba, quantum fieri poterit, philologice considerabimus, deinde de vitio Episcopo fugiendo dicemus, & denique nonnullas quaestiones, ad totius rei illustrationem facientes, adiiciemus. Faxit Deus, ut omnia feliciter procedant!

§. II. Cum igitur ante omnia in verba textus Paulini paulo accuratius inquirere animus sit, primum considerationi nostrae sese offert vox *Episcopus*, in qua, quantum breviter fieri poterit, videndum erit, tam quid denotet ratione *originis*, quam quid significet ratione *usurpationis*.

§. III. Prius quidem quod attinet, opus non est, ut ei diu immoremur, cum vel pueris notum sit, vocem *ἐπίσκοπον* descendere ex verbo *ἐπισκοπέω*, vel quod nonnullis placet, ex verbo *ἐπισκέτομαι*, composito ex *ἐπί* super, & *σκέτομαι* visito, inspicio, contemplor, lustro. Vel etiam haec vox derivari posse videtur ex *ἐπί* & *σκοπός* speculator, inspector. Ut igitur Episcopus nihil aliud sit, quam inspector, sive Superintendens alicuius rei, vel cui commissa est cura & officium alicuius negotii, sive Politici sive Ecclesiastici. (a) *Nomen Episcopi enim*, inquit Augustinus, (b) *est nomen operis, non honoris ἐπισκοπέειν, si velimus, latine Superintendere possumus dicere.*

Vocis Episcopi Etymologia.

Vfus.

§. IV. Ad posterius autem quod pertinet, aliter hac voce usi sunt *Apostoli* in Script. S. aliter eam accipiunt *Pontificii*, & aliter denique eam usurparunt *veteres gentes*. Sic enim (ut de ultimis primo loco dicam) Athe-

Apud veteres gentes.

A 2

nienfes

(a) Vid. Eduardus Leighius in *Crit. sac. N. T. p. 242.* (b) *T. 5. Opp. L. 19. de D. c. 19. f. 1177.*

nientes illos, qui cum imperio peregre mittebantur, ἐπισκόπους appellare solebant. Neque etiam Romanis hoc nomen inconfuetum fuisse, adparet ex Cicero-
ne. (c) *Ego, inquit, negotio praesum non turbulento, vult enim me Pompeius esse, quem tota haec campana & maritima ora habeat ἐπισκοπῶν, ad quem delectus & summa negotii deferatur.* Episcopi quoque dicti sunt, qui aliarum rerum curam gesserunt. In Iure Civili dicitur: *Episcopi, qui praesunt pani & ceteris rebus venalibus, quae civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt &c. Plura vid. ap. Io. Casp. Suicerum (d).*

Apud Pontificios.

§. V. Apud Pontificios autem quid vox Episcopus in hunc usque diem denotet, in vulgus notissimum est. Sunt enim eorum Episcopi non tantum Presbyteris omnibusque membris sacri (scilicet) ordinis superiores; (Cardinalatus enim an verus ordo sit, inter Pontificios disputatur, teste Agustino Barbosa (e),) sed etiam iurisdictione saeculari gaudentes, baculum Aaronis & gladium Nimrodi una manu regunt. Imo tanti suos faciunt Pontificii episcopos, ut Bellarminus (f) de iisdem haec verba, ex Nazianzeno, Chrysofostomo & Ambrosio, si credimus Lojolaetae, deprompta adferre non erubuerit: *Episcopus tanto est maior rege, quanto spiritus carni, coelum terrae, aurum plumbo praestat. Et propterea etiam Pontificatus & Sacerdotium per se ad Ecclesiam pertinent, principatus autem temporales per accidens.*

§. VI.

(c) *Lib. 7. ad Attic. Epist.* (d) *in Thesaur. Eccles. T. 1. p. 1178.*
(e) *de officio & Potest. Episcoporum p. 2. Alleg. 1. p. 191.* (f)
Tom. 1. controv. 1. p. 129.

§. VI. Videndum igitur etiam est, quid S. *Auctores* per vocem Episcopi intellexerint Pontificii, cum iisque Episcopales in Anglia statuunt, intelligi Episcopos Presbyteris i. e. quibusvis Ecclesiae Ministris iure Divino superiores: omnes quidem, ut Episcoporum suorum auctoritatem, illi autem imprimis, ut oecumenici illius Episcopi (in aliqua tantum terrae parte & iam non adeo absolute regnantis) independentem atque universalem potentiam, quantum in se est, confirmant atque conseruent. Atque huic suae sententiae tam firmiter inhaerent Pontificii, ut non tantum in Concilio Tridentino (g) constituerint: *Si quis dixerit: Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit; sed etiam variis scriptis eam defenderint.* Nominatim hac in re defudarunt: August. Barbosa (h), Robertus Bellarminus (i), Marcus Anton. de Dominis (k), Ioh. Azorius (l), Dionysius Petavius (m), Petrus Suauis (n), & nupere Monachus quidam Benedict. Bacchinius (o). In Anglia quanta animorum contentione de hac materia inter Episcopales & Presbyterianos disputatum sit, quantaque turbae inde exortae sint, omnibus notum est. Inter Episcopales satis prolixè suorum sententiam defendit Ioh. Prideaux (p), quem refutavit Sam. Maresius (q). Ante paucos abhinc annos iterum Anglus quidam, Henr. Dodwel-

Apud Apostolos.

A 3

lus,

(g) Sess. 23. Can. 7. (h) De officio & potestate Episcopi part. 1. Tit. 1. c. 3. p. 11. (i) Tom. 1. Controv. 5. c. 14. & alibi passim. (k) Lib. 11. de Rep. Eccl. c. 3. 49. (l) Instit. Mor. Tom. 2. f. 319. sq. (m) Tom. 4. Opp. de Hierarchia Eccl. (n) Hist. Conc. Tvid. Lib. 7. p. 669. (o) In Dissert. de Eccl. Hierarchiae originibus. (p) Opp. Theol. f. 639. sqq. (q) Disp. de Episcopatus origine & iurisdictione p. 5. sqq.

lus, Episcoporum auctoritatem, eorundemque a Magistratu saeculari independentiam propugnavit, cui contradixit, eiusdemque receptam singularem hypothesein destruxit D. Ioh. Franc. Buddeus (r). Phil. a Limborch (s) concedit (pacis causa) Ecclesiae ab Apostolis Episcopos, qui Presbyteris gradu aliquo essent superiores, adeoque collegii Presbyterorum praefides, fuisse praepositos. Hac tamen institutione noluisse Apostolos Ecclesiae perpetuam ac immutabilem regiminis formam praescribere, a qua nullo unquam tempore aut casu recedere fas esset.

Episcopus
dicitur
quilibet
Verbi di-
vini Mini-
ster.

§. VII. Antequam autem de vera Theologorum nostrorum sententia dicamus, operae pretium erit, ut circa statum controversiae quaedam moneamus. Non enim quaeritur 1. an Episcopi iure humano Presbyteris sint superiores? 2. Non quaeritur: an licuerit Ecclesiae Episcopos Presbyteris anteferre? 3. Non quaeritur: an mox post Apostolorum tempora distinctio inter Episcopos & Presbyteros invaluerit? 4. Non quaeritur: an inter Ecclesiae Ministros ordo & gradus sint & esse debeant? Sed quaeritur: an iure Divino & temporibus Apostolorum Episcopi Presbyteris, non tantum potestare ordinis, sed etiam potestate iurisdictionis, fuerint superiores? Atque hoc est, quod Pontificii adfirmant, nos autem negamus, his praecipue moti rationibus: 1. Quia in S. S. eis communia tribuuntur nomina. Act. XX. 17. coll. v. 28. Tit. l. 5. coll. v. 7. 1. Pet. V. 1. 2. 3. 2. Quia ipsis communia officia tribuuntur, Act. XX. 28. coll. 1. Pet. V. 1. 2. 1. Tim. IV. 14. coll. Act.

(r) *In Exercitatione de Origine & potestate Episcoporum. Ien. 1705.*

(s) *Theol. Christ. l. 7. c. 4. f. 750.*

Act. XIX. 6. 1. Tim. V. 22. & 2. Tim. I. 6. 3. Quia plures Episcopi in una civitate fuerunt. Act. XX. 17. Phil. I. 1. 4. Expressis verbis id testatur Hieronymus. (t) *Idem est, inquit, Presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephae, communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putasset esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret & schismatum semina tollerentur.* 5. Sunt etiam inter ipsos Pontificios, qui sententiae nostrae suffragantur. *Ex Catholicis, inquit Vasquez (u), non pauci, neque infimae notae expresse affirmarunt & hac in parte cum praedictis haereticis convenerunt, solo jure humano, non divino inter Episcopos & sacerdotes discrimen esse. Plura argumenta dabunt Auctores, qui ex professo hanc materiam pertractarunt: B. Lutherus (x), Ioh. Gerhardus (y), Andr. Prücknerus (z), Pet. Haberkornius (a), Christian. Dreierus (b), Ioh. Hildebrandus (c), Casp. Ziegelerus (d), Matth. Zimmermann. (e), Ioh. Henr. Ottius (f), Ioh. Hoornbeek*

(t) *T. 9. in Tit. 1. & alibi.* (u) *Vid. Io. Ad. Osiander Theol. Casual. de Minist. Eccl. p. 413.* (x) *in Opp. passim.* (y) *T. 5. LL. de Eccl. p. 389. T. 6. p. 14. 15. & in Confess. Cathol. P. 2. l. 2. c. 3.* (z) *P. 5. Vindic. Bibl. f. 112. sq. f. 651. 664.* (a) *Dec. Dispp. de Minist. Eccl. Disp. 2. sqq. p. 38. sqq.* (b) *Pecul. Disp. quæ extat inter controversias cum Pontificiis præcipuas p. 571.* (c) *in Exercit. de Episcopis.* (d) *De Episcopis lib. 1. c. 3.* (e) *Comm. de Presbyterissis V. Eccl. J. 14. p. 18.* (f) *in Exam. Ann. Baronii cent. 1. p. 340. 248. & alibi.*

beek (g), Claudius Salmasius (h), Sam. Marefius (i), David Blondellus (k), Lamb. Danaeus (l). Constat itaque, quemlibet Ecclesiae Ministrum in S. Scriptura vocari Episcopum. Atque id clarissimis verbis indigitat Lutherus (m) *S. Paulus*, inquit, nennt einen jeden Stadt-Pfarr-Herren einen Bischoff, d. i. ein Wächter, Priester und Eltester. Idem affirmant Commentatores Vinariensis (n), Aegid. Hunnius (o), Ioh. Ioach. Zentgravius (p), Ioh. Ad. Osiander (q), Ioh. Andr. Quenstedius (r), Winstrupius (s), Crellius (t), Ioh. Crocius (u). Atque optime quidem Episcopi titulus Presbyteris s. Ecclesiae pastoribus convenit. Presbyteri Verbi Divini praecones vocantur vel ratione aetatis, vel quod honore ac reverentia, senioribus debita, prosequendi sunt: Pastores, quia gregem suum, sanguine Dei redemptum, verbo Divino recreare ac contra infernalem lupum defendere debent: Episcopi autem, quia instar speculatorum in omnium auditorum suorum pietatem, tam in cathedra concionatoria, quam κατ' ὄψιν (ut nuperrime sub Praesidio Venerabilis Praesidis mei luculentissime elegantissimeque demonstratum est, (x) docendo, increpando,

-
- (g) *Summa Contr. Relig. lib. II. p. 843. sqq.* (h) *in Tr. de Episcopis & Presbyt. contra Petavium (latens sub nomine Wallo Mefsalinus.) vid. Placcius in script. pseudon. f. 615.* (i) *c. 1.*
 (k) *in Apol. pro sententia Hieronymi.* (l) *Opp. f. 455.* (m) *T. 1. Germ. Altenb. f. 569. T. 5. f. 215.* (n) *in 1. Tim. III. 3.*
 (o) *Tom. 4. Opp. Lat. in 1. Tim. III. 3. f. 784.* (p) *in Tit. I. 5.*
 (q) *Coll. Syst. Theol. P. 7. p. 159.* (r) *Antiquit. Bibl. p. 84.*
 (s) *Tom. 2. Pandect. Sac. f. 545.* (t) *T. 2. in 1. Tim. III. f. 13. item f. 42. & T. 4. in Etb. Christ. f. 408.* (u) *in Tit. I. 5. p. 92.*
 (x) *in Disp. de Visitatione Domestica ab Eccl. Ministro instituenda.*

pando, corrigendo, adhortando, consolando praeesse debent.

§. VIII. Progredimur jam ad alteram, quae sub examen vocanda est, vocem : *δέω*. Est haec vox tertia persona verbi *δέω* ligo, vincio, & tria, iudice Pasore (y), significare potest. 1. Idem est, quod necesse est, & refertur ad eundem, Act. XIV. 22. 2. Idem est, quod oportet, & refertur ad officium agentis, Apoc. XIII. 10. 3. Idem est, quod opus est, & refertur ad indigentiam. Quibus addi posse videtur, quod modo denotet necessitatem physicam, eamque vel absolutam, vel hypotheticam, modo innuat necessitatem moralem, h. e. officium seu debitum, quod necessarium est in oppositione ad moraliter indifferens. Atque hanc significationem hic quoque obtinere, tum sequens accusativus, quem regit, cum oportet significat, tum ipse contextus comprobatur.

Vocis *δέω*
significa-
tio.

§. IX. Sed quaeri hic poterit, an haec vocula tantam innuat necessitatem, ut Ecclesiae Minister, his ab Apostolo descriptis virtutibus destitutus, non sit verus Verbi Divini Minister, sed mendax? Resp. Verus verbi Divini Minister dici potest, qui omnia requisita, ipsi inesse debita, habet. In qua significatione impius Minister verus esse nequit. Vel etiam verus Ecclesiae Minister dicitur, qui vera rerum Divinarum notitia instructus mediante legitima vocatione vere & efficaciter verbum Dei praedicare ac sacramenta administrare potest. Atque hoc sensu etiam memoratis virtutibus destitutum Ministrum verum esse contendimus. Si enim propterea, quod prae-

Minister.
Eccl. impi-
us est ve-
rus.

B

cepto

(y) *In Lex.*

cepto huic Paulino non exacte satisfacit, quis verus Ecclesiae Minister esse non posset: profecto in toto terrarum orbe nullus verus inveniretur, neque Christianus, neque Episcopus. Tam enim ab illo (z) quam speciatim ab hoc (a) requiritur, ut sit perfectus, cum tamen nemo in hac vita ad absolutam perfectionem adscendere queat. Perinde hoc esset, ac si quis artificem, artis suae bene quidem gnarum, sed praeceptum Pauli: *quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Jesu facite, gratias agentes Deo & Patri per eum*, Col. III. 17. &: *quod facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 2. Cor. X. 31. minus observantem, arguere vellet, quod non sit verus artifex, neque opus quoddam vere recteque perficere queat. Atque si Minister virtutibus destitutus mendax est, & verbum Divinum vere & efficaciter praedicare nequit, quomodo quaeso sacramenta vere & efficaciter administrare poterit? quomodo tunc demum baptismi ac salutis suae quis certus erit? Excipere mihi videtur impurissima Indifferentistarum cohors, sacramenta non esse regenerationis media. At vero quid hoc aliud est, quam execranda dogmata diabolicis erroribus defendere, ac scelera excusare flagitiis? Obiicit Ioh. Wilhelm. Zieroldus (b), vere furiosum inter Pietistas nomen, dona administrantia sine sanctificantibus esse non posse, & ipsum Apostolum 1. Tim. III. ex donis sanctificantibus administrantia deducere. Sed figmentum hoc est ex veri nominis orthodoxia (si Diis placet) Pietistarum profluens, apertissimae Scripturae

(z) *Matth. V. 48.* (a) *2. Tim. III. 17.* (b) *In veri nominis Orthodoxia Fidelium & piorum per exegetin. 1. Tim. ad Cap. III. §. 36. sqq. p. 10.*

pturae literae & non paucis exemplis contradicens.
Res in aprico posita est.

§. X. Verbum εἶναι & particula μὴ peculiarem De verbo
considerationem vix merentur. Notum enim est, εἶναι εἶναι
esse praesens infinitivi vocis εἰμι sum, & μὴ esse adver- & part.
bium prohibendi vel negandi; non, ne. Hoc uni- μὴ
cum tantum observandum, omnia praecipua negati-
va mandatum quoque in se continere, semperque
ubi officium negative describatur, simul innui ex ad-
verso virtutem positivam. Sed haec per se clara sunt
atque perspicua.

§. XI. Properamus igitur denique ad vocem Vocis
πλήκτης, in qua cum totius rei cardo vertatur, eam πλήκτης
paulo penitius atque accuratius considerare iuvabit. origo
Inquiremus itaque primum in vocis *originem* & signi-
ficationem, deinde nostram sententiam rationibus
confirmabimus, & denique contradicentium examina-
bimus argumenta. Derivatur haec vox ex verbo
πλήσσω vel πλήττω percutio, ferio, quod testibus Lexi-
cographis proprie ordinarie physicam ac violentam
percussionem innuit. Id quod multorum scri-
ptorum auctoritate comprobant. *Interdum autem*, in-
quit Henr. Stephanus, (c) ἐπλήγην pro perclusus sum,
unde πληγείς perclusus, perturbatus. Plato Epist. 7. πλη-
γείς ἐγὼ τῷ λεχθέντι. *Quidam tamen de animo putarunt dici*
ἐπλάγην sicut ἐπλήγην de corpore. LXX. Interpretes saepe
in versione sua hac voce pro violenta percussione
usi sunt, e. g. Exod. IX. 31. 32. 33. Num. XXV. 1. Sam.
V. 12. 2. Sam. XI. 15. 1. Reg. XIV. c. XXII, v. 2. 15. Esa.
I. 5. XXVII. 7. Zach. XIII. 6.

B 2

§. XII.

(c) In Lex. graeco.

Significa-
tio

§. XII. Denotat igitur *πλήκτης* percussorem, qui promptus est ad verbera incutienda. vide Henr. Stephanum (d) & Ioh. Scapulam, (e) *Plutarchus*, pergit Stephanus, in *Fab. κατά χείρα πλήκτης*, quod redditur: *manu promptus, manu strenuus*. Ex eodem B. adfert *πλήκτης*, sine adiectione positum pro *pugnax*. Ad unum ferme omnes interpretes hanc vocem per percussorem vertunt. Optime eam quoque Ambrosius (f) per verberatorem expressit. Ioh. Cocceius (g) & Ioh. Conr. Dietericus (h) vocabulo percussoris vocem pulsatorem adiungunt. Non desunt quidem, qui, ut infra videbimus, hanc vocem etiam objurgatorem & moraliter percutientem denotare autumant. Quod ipsis facile concedere possemus, si ejusmodi exempla in medium adferre possent. Equidem in Lexicis nullum invenire potui. Non enim quaeritur, quotupliciter vox *πλήκτης*, vel in propria, vel in metaphorica significatione accipi queat; sed quid proprie & ordinarie significet. Non quaeritur, quae nam quocumque modo ad hanc vocem referri possint; sed quid immediate & in litera denotet? Vide Ioh. Casp. Suicerum. (i)

In textu
intelligi-
tur violen-
tus percus-
sor.Prob. I. ex
proprieta-
te literae.

§. XIII. Ex quibus facile judicari poterit, quid in textu nostro per vocem *πλήκτης* intelligatur. Intelligitur enim percussor, non moraliter & verbis, sed physice & violenter aliquem feriens. Quod ut eo clarius elucescat, primum & ante omnia provocamus ad propriam, nativam ac ordinariam huius vocis signi-

(d) *Lex. ad hanc vocem.* (e) *Lex.* (f) *T. 5. fol. 402.* (g) *T. 5. Opp. in Tit. 1. 7. f. 415.* (h) *Lex. græc.* (i) *Tbes. Eccl. T. 2. p. 751.*

gnificationem, secundum quam, ut supra ostendimus, semper indigitat physicam ac violentam percussione[m], sive manu illa fiat, s. pede, s. baculo, s. gladio, s. quocunque alio instrumento. Hanc autem hic etiam obtinere, solennis illa & prima nos docet interpretum regula: a proprietate literae sine gravissima causa non est recedendum. Quae autem quaeso hic nos moveret causa? quae cogeret necessitas? Tantum abest, ut vel unica idonea causa, cur litera deserenda sit, adferri queat, ut potius ipse contextus in litera manendum esse, euincat. Apostolus enim tanquam per gradus ab iis, quae pugnas & conflictiones antecedere solent, ad ipsa verbera adscendit. Ante omnia enim Paulus omni superbia, tanquam iracundiae omniumque vitiorum uberrima matre Ecclesiae Ministro plane interdicit. Deinde etiam ab ipsa iracundia, ex eaque plerumque promanantibus jurgiis, convitiis & contentionibus eum immunem esse cupit. Quae omnia autem & graviora ut eo melius faciliusque deuitare possit, a vinolentia atque ebrietate illum serio dehortatur. Atque tunc demum suum, quem instruit, Episcopum a pugnis & percussione[m] abstinere jubet. Superbo enim quis iracundior? Iracundo & vinolento quis ad caedendum turbasque excitandas proclivior? Multa enim plerique, quae sobrii ausi non fuissent, vino repleti conantur. conf. Prov. XXIII, 29. 30.

Prob. II. ex
contextu.

§. XIV. 3. Nostram sententiam confirmat vox ἀμαχῶ, voci πλήκτης opposita, quae communiter vertitur alienus a pugnis. ἄμαχοι, inquit Stephanus (k),

Prob. III.
ex voce
ἀμαχῶ

B 3

qui

(k) c. l.

qui pugna abstinent, qui non pugnant. Zenoph. οἱ δὲ ἄλλοι ἀμαχοὶ εἰσι. vide Suidam. Quam plurimi quidem interpretum hanc etiam vocem de iurgiis & altercationibus exponunt. Quibus haud ita pridem accessit D. Io. Henr. Maius (1): *fit ἀμαχος, inquit, kein Zäncker sey, sed εἰρηνικος, ein friedlicher Mann.* Quomodo & ab aliis nonnunquam verti non inficiamur, dummodo non eo extendatur pacificus animus, ut pacem cum erroribus inire Ecclesiae minister debeat. Id enim si quis dicere velit, causa nulla est, quin & amore pacis inducias facere cum moralibus vitiis possit. Sed pro nobis iterum literae proprietates facit. Quamquam enim verbum μάχεσθαι, a quo derivatur ἀμαχος, interdum usurpatur pro rixari, altercari: dubito tamen, an etiam ἀμαχος in metaphorica hac significatione apud Auctores occurrat, & si vel maxime occurrat, ea tamen, quam nos tuemur, est & semper erit propria & ordinaria vocis huius significatio, a qua ut recedamus, nulla nos cogit necessitas. Schömerus alienum a pugnis vocari dicit, qui non ad manus venire soleat, cum illi fit injuria. Accedit, quod nisi ἀμαχος alienum a pugnis & verberibus denotet, non adpareat, cur Apostolus huic voci alteram illam ἐπιεικῆ adiunxerit, quippe quae innuit hominem, qui miti est ingenio & de jure suo remittit, cujus contrarium invenimus in rixosis. Lutherus eam vertit *gelinde*, in quo significatu occurrit. 1. Petr. II, 18. Jac. III, 17. & apud LXX. interpretes Psalm. LV, 22.

§. XV.

(1) *In Praxi pietatis loco 16. p. 135.*

§. XV. 4.) Nec ex ipsis contradicentibus non-
nulli inficiantur, eam, quam nos defendimus, vocis
πλήκτης significationem esse propriam & simplicio-
rem. Hieronymus (m) ad verba: ne percussor sit, scribit:
quod quidem & simpliciter intellectum aedificat audientem,
ne facile manum porrigat, ad caedendum: ne inos alterius
verberandum insanus erumpat. Espencaeus (n) quoque
concedit, proprie innui eum, qui vere percutiat,
sive prius percutiatur, sine non.

Prob. 4. ex
ipsis con-
tradicenti-
bus.

§. XVI. 5.) Pro nobis militat auctoritas Anti-
quitatis, quae ad dictum nostrum respiciens idem in
canonibus suis prohibuit. Placet hanc in rem adfer-
re Apost. (uti quidem, quamquam perperam vocan-
tur canones illi) Can. 28. (o) *Episcopum aut presbyterum*
aut diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infide-
les inique agentes, & per huiusmodi volentem timeri, dejici
ab officio praecipimus, quia nusquam nos docuit hoc Domi-
nus. Quem canonem Luc. Osiander (p) in adiecta
epicrisi bonum vocat, allegans 1. Tim. III, 3. Ex hoc
canone in Iure Canonico (q) constitutum est: *Deji-*
ciantur ab officio Presbyter & Diaconus & Episcopus, verbe-
ribus timeri quaerens. Et ad vocem: Non percusso-
rem, dicitur (r) *Non enim oportet Episcopum ita esse iras-*
cibilem & perturbati sensus, ut percutiat, qui debet esse pa-
tiens. Sed sequatur eum, qui dorsum posuit ad flagella.
Pastores, inquit Gregorius (s) facti sumus, non percus-
sores. Nova vero atque inaudita est ista praedicatio, quae
verberibus exigit fidem. Idem quoque in Concilio A-
gathensi

Prob. 5. ex
Auctorita-
te antiqui-
tatis.

(m) T. 9. in Tit. l. f. 246. d. (n) Opp. f. 41. (o) Tom.
1. Conc. Ruelii p. 53. (p) ibid. (q) Decret. P. 1. Dist. 45. Can.
7. (r) ibid. (s) Ad Iob. Episc. Constantin. l. 2. Ep. 52. all. in
Iure Canonico c. 1.

gathensi (t) Patres vertant. *Non liceat, inquit, Episcopo manibus suis aliquem caedere, hoc enim alienum a sacerdote esse debet.* Item (u) : *in aliquo gradu percussor correptus nec emendatus deponatur.* Et eundem fere in modum in Concilio Nant. (x) : *summopere quisque Presbyter caveat, si de statu suo vult gaudere, ne quacunque occasione parem suum aut alium quemlibet ad iram vel rixam, multominus ad pugnam vel ad caedam aliquo verbo irritet, seu provocet, nec provocatus ad hoc quisquam profiliat.* Nec minus Ius Civile (y) Episcopis percussioni- bus interdicit. *Propriis manibus, ait Imperator, verberare Episcopo non licet, hoc enim a sacerdote alienum est.* Quod autem in allatis Ecclesiae canonibus ad textum nostrum respectum fuerit, probamus tum ex Jure Canonico, in quo idem, quem Apostolus habet, ordo observatus est, eaque, quæ attulimus, ad verba Pauli: *Non percussorem*, dicta sunt: tum ex Greg. Sayro (z), cuius haec sunt verba: *Cum Paulus praeceperit, ne illi in Episcopos & sacerdotes eligantur, qui fuerunt percussores, merito canit Ecclesia, ut Clerici ab omni abstineant percussione, tam privata, quam publica auctoritate facta.*

Prob. 6. ex
Auctorita-
te Docto-
rum.

§. XVII. Denique 6. nostra explicatio fulcitur auctoritate Gregorii Nazianzeni (a), Bernhardi (b) & plurimorum recentiorum Ecclesiae Doctorum. Elegantissima certe sunt Magni nostri Schomeri (c) verba: *non debet (Episcopus) auctoritatem illam sibi sumere, ut incussis verberibus aut pugnis velit emendare immo- rigeros*

(t) *Apud Claudium Espenacum l. 2. c. 3. Digr. 5. f. 182.* (u) *ibi- dem.* (x) *Reginonis Brum. Disciplina veterum l. 1. c. 214.* (y) *Espenacaeus, c. 1.* (z) *in Clavi Regia Sacerdotum Cas- snum Consc. f. 451.* (a) *Opp. p. 5.* (b) *Opp. p. 1399. a.* (c) *In Comm. in Tit. I. 7. & 1. Tim. 3. 3.*

rigeros. Nec minus egregia illa Lucae Oliandri (d) Er soll kein Balger seyn. Militaris enim audacia & ferocia non Ecclesiae Ministerium, sed militem facit. Eiusdem ferme tenoris sunt Eilhardi Lubini (e) verba: qui animum martium & ferocem habeat, cuius manus praeceps sit ad percutiendum. Indigni sunt Ministerio, qui malunt cum aliis conserere, quam sua gravitate lites aliorum componere. Facere non possum, quin etiam verba Cel. illius Dav. Chytraei (f) adjiciam. Kein Balger, inquit, der sich mit den Bauren im Krüge nicht schläget, sed tantum voce, non verberibus puniat delinquentes. Sed nimis prolixum foret omnium verba adferre. Plura curioso Lectori dabunt: Aegid. Hunnius (g), Erasmus Schmidius (h), Ioh. Gerhardus (i), Ioh. Quistorpius (k), Ioh. Ioach. Zentgravius (l), Ioh. Reinh. Hedingerus (m), qui dicit: Er kein Schläger der nicht mit der Faust ungöttlich drein schlage. Ioach. Camerarius (n), Ioh. Cocceius (o), Lamb. Danaeus (p), Corn. a Lapide (q), Crellius (r), Slichtingius (s) & denique Drussius (t), cuius haec sunt verba: Auctores Latini percussorem vocant, qui aliquem occidit,

C

dit,

- (d) in S. Bibl. P. 3. in 1. Tim. 3. 3. f. 659. & in Tit. 1. 7. f. 678.
 (e) In 1. Tim. 3. 3. & Tit. 1. 7. (f) in Scholiis ad 1. Tim. 3. 3.
 (g) in Opp. Lat. T. 4. in Tit. 1. 7. f. 829. & locis Commun. ad b. l. f. 835. qui tamen f. 783. in 1. Tim. 3. 3. iniurias non excludit. (h) in 1. Tim. 3. 3. (i) T. 6. in 1. Tim. 3. 3. p. 163. (k) in Tit. 1. 7. (l) in Comm. ad Tit. 1. 7. (m) in 1. Tim. 3. 3. (n) Alleg. Calov. Bibl. Ill. T. 5. in Tit. 1. 7. f. 1056. (o) T. 5. Opp. in 1. Tim. 3. 3. f. 268. in Tit. 1. 7. f. 415. (p) Opp. f. 464. in 1. Tim. 3. 3. (q) in 1. Tim. 3. 3. (r) Opp. T. 4. Etb. Christ. l. 5. c. 3. f. 409. (s) in 1. Tim. 3. 3. (t) Vide Bibl. Crit. T. 5. in 1. Tim. 3. 3. p. 901.

dit, maxime, si ad hoc fuerit conductus. Hic aliud significat. Nam percussorem dicit, qui facile ac libenter percutit, qui pronus ac proclivis est ad hoc vitium, siue ut cum Syro loquar, cuius manus currunt ad percutiendum.

Nonnulli
Moralem
& Phÿsi.
cam per-
cussionem
simul in-
telligunt.

§. XVIII. Paulum ab hac nostra sententia recedunt nonnulli interpretes, vocem *πληκτην* & de verbis explicantes. Id quod faciunt Commentatores Vinarienses: (u), Abrah. Calovius (x), & Ioh. Crocius (y). Ad percussorem conscientiarum eam extendunt Theophylactus (z), Auctor commentarii in 1. Tim. Hieronymo (a) annexi, et Bechmannus (b) Balduinus (c) de quavis iniuria, quae proximo inferri potest, intelligit. Sed concedimus quidem, moralem percussorem (*De eo enim, qui conscientiam non percutit, quod Paulus agat, quis credat?* inquit Hein- sius (d), non excludi, licet literaliter & immediate de eadem non agatur, sed tantum per consequentiam, quemadmodum nempe in 5. praecepto non tantum homicidia, sed etiam iurgia, convitia & contentiones, homicidiis nempe causam & occasionem praebentes, prohibentur. Quo pertinet illud Eras. Schmidii (e) *Wo solche Schlägerereyen vorlauffen, da giebt sich das Bochen selber.* Quomodo autem unius vocabuli in eodem loco plures literales & immediatae significa- tiones esse possint, equidem non video. Ne dicam, quod

(u) In 1. Tim. 3. 3. qui tamen ad Tit. 1. 7. dicunt: Der nicht ein Schläger und Balger sey: (x) Syst. Tb. T. 8. f. 26. in Bibl. illust. T. 8. f. 959. ad 1. Tim. 3. 5 f. 1056. in Tit. 1. 7. (y) in Tit. 1. 7. p. 129. (z) Enarr. in 1. Tim. 3. f. 723. & Tit. 1. f. 755. (a) T. 9. f. 383. (b) Mor. P. 413. (c) Comm. in b. l. p. 197. (d) Exercit. Sac. ad N. T. f. 513. in b. l. (e) Comm. in 1. Timoth. 3. 3. f. 1241.

quod rixae & contentiones, tanquam immediatum iracundiae consequens, commodius ad vocem *οργίλον*, quam *πλήκτην* referri queant.

§. XIX. Restat ut etiam eos, qui tantum de morali & conscientiarum percussione Apostolo sermonem esse putant, adferamus, eorumque ratiunculas modeste sub examen vocemus. Et primum quidem nobis occurrit illud Hieronymi (f): *Qui magnum sit, si Episcopus temperet manibus.* Resp. Aut verba illa agunt de Episcopo Politico; aut de quovis Ecclesiae ministro. Si illud, nobis non obstant; si hoc, respondemus cum Eras. Schmidio (g): *Omnino non magnum, sed maximum est in Episcopo probrum & dedecus, imo scandalum, wenn er sich mit den Bauern oder andern Leuten in der Schencke oder sonsten herum schläget.* Et quidni hoc aliquid magni esset? Annon magnum est, pravis suis affectibus frena laxare, irae indulgere, ac se ipsum ulcisci? An parvum esse videtur, se aliorum officii immiscere? Egregie hac de re loquitur B. Lutherus (h) *Die Prediger sollen in diese geistliche Straffe oder Bann nicht mengen die weltliche Straffe.* Item (i) *Die lieben Prediger halten die Faust innen, und lassen das Schwerdt dem Rånser, allein der Zungen brauchen sie.* Et eundem in modum Carpzovius (k) *pœnas delinquentibus indicere non fas est Ministris Ecclesiae, nec Superintendentibus, quippe quibus nulla competit jurisdictio.* Neque quisquam hoc sibi persuaderi sinet, nisi qui prorsus ignorat, quam acerbe hoc vitium vindicari soleat.

Alii pro sola morali percussione militant.

Obiectio. I.

C 2

§. XX.

(f) *All. Erasmo in Bibl. Crit. T. 5. in Tim. 3. f. 895. & Estio. p. 783.* (g) *c. l.* (h) *T. 6. Germ. Altenb. f. 1239.* (i) *T. 5. f. 435.* (k) *Jurispr. consist. l. 3. tit. 7. Def. 81.*

Obiectio.
II.

§. XX. Dices: potestatem Episcoporum alios percutiendi, permultis tum Ecclesiasticis, tum politicis legibus ab Espencaeo (l) probari. Resp. Leges illae agunt de Episcopis, potestate & jurisdictione politica gaudentibus, atque praefectis Monasteriorum, petulantes Monachos coërcentibus. Quapropter contra nos allegari nequeunt.

Obiectio.
III.

§. XXI. Obijcit Estius (m); locum nostrum cum illo 1. Tim. V. 1. *seniorem ne increpueris*, esse parallelum. Resp. I. Vnde hoc probabitur? Quid obstat, quo minus Apostolus prohibitis antea percussioneibus, hoc loco Timotheum, ne in senes acerbe invehatur, admonere queat? 2. Quid si dicerem, etiam hunc locum non de morali, sed de physica percussione agere? Equidem non ignoro, priorem sententiam esse communioem; sed litera iterum pro me militare videtur. Compositum enim est verbum ἐπιπλήττειν ex πλήττειν & praepositione ἐπί, quae in compositione non raro auget. *Proprie*, inquit Eduardus Leighius (n) *denotat castigo, animadverto, sed usurpatur etiam pro increpo* 1. Tim. V. 1. *Objurgo quodammodo & verberare addito, ut merbaphora subesse videatur.* Vt igitur non a deo male judicent, qui hoc verbum ad pugnos & verbera referunt, velut Lamb. Danaeus (o) existimat.

Obiectio.
IV.

§. XXII. Porro Estius (p) nobis opponit Jer. XVIII, 18. *Venite, percutiamus eum lingua*, & Erasmus (q) illud Horatii: *verbera linguae*, ac Ciceronis: *verberatur Tiro tacito duntaxat cognitionis convitio.* Resp. de

(l) c. l. (m) p. 783. (n) *In Critica Sac.* (o) in 1. 1. Tim. 3. f. 492. (p) c. l. (q) *Bibl. Crit. c. l.*

de voce *πλήκτης* eiusmodi exempla adferenda essent. Tam manifesta proprietatis deferendae ratio si in textu nostro inueniretur, quam in allatis locutionibus, facile nos adversariorum nutui attemperaremus. At vero quemadmodum voces: verbera, percutere & verberare sine addito, quod vocant, alienante audientiae non nisi de realibus verberibus & plagis intelliguntur: ita multo minus vocem *πλήκτην*, quae nulli ita usurpata occurrit, absolute positam aliter, quam pro violento percussore accipere possumus.

§. XXIII. Neque cuiusdam ponderis est illa Clarii (r) obiectio; quod nempe satis apertum sit, hoc non decere. Cur non in uocibus superbia, iracundia, vinolentia quoque metaphoram quaerit: nam etiam has Ecclesiae Ministrum non decere, satis apertum est. Eadem responderi possunt ad illud Hieronymi (s): *Apostolus Ecclesiae principem formans, non vetat esse pugilem & pancratiasten: quod etiam in plebejo & quocunque gentili si fuerit, reprehenditur.* Nam etiam polygamia, vinolentia &c. in quocunque homine rejiciuntur, & tamen in specie Ecclesiae Ministro earum derivatio demandatur. Imprimis enim Ecclesiae Minister omnia, quae vitae morumque integritatem violant, sedulo fugere debet, siquidem ipsum in omnibus virtutibus Ecclesiae suae typum esse oportet. 1. Tim. V, 12. Tit. II, 7. 1. Petr. V, 3. Et

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

§. XXIV. Majoris momenti esse videtur, quod & ipse Lutherus moralem percussorem intellexerit, vertens hanc vocem per *Pochen*. Veneror equidem

C 3

ut

(r) *ibidem.* (s) *T. 9. ff. 246. in Tit. 1.*

Object. V.
& VI.

Object.
VII.

ut in omnibus rebus, ita etiam in incomporabili illa Bibliorum versione Magni hujus Viri auctoritatem, & religioni mihi ducerem, si vel latum unguem temere ab eadem recederem. Sed hoc tamen a nemine Theologorum nostrorum unquam negatum est, neque negari potest, illum nonnullis in locis paululum a textu originali recessisse; id quod & hoc loco factum esse, supra dicta demonstrant. Neque Lutherum violentam percussione vel in hac ipsa versione vel alibi exclusisse, ex aliis ejusdem locis, ex quibus §. 19. duo allegavimus, colligere licet. Forfan igitur eorum, quæ intime conjuncta esse solent, unum tantum, altero subintellecto, nominare voluit.

§. XXV. Praeter jam allegatos Auctores huic sententiae addicti sunt Chrysostronus (t), Theodoretus (u), Claudius Espencaus (x), & denique Przipkovius (y), qui satis confidenter quidem, sed nimis stolide hanc sententiam manifestiorem esse putat, quam ut multis probari debeat.

Percussiones Ministrum Ecclesiae decent.

§. XXVI. Cum igitur satis jam evictum atque demonstratum sit, in loco nostro de violenta percussione agi: ipsa luce meridiana clarius esse puto, eam ab omni Ecclesiae Ministro sedulo fugiendam esse. Fugient eam omnes, qui universas honestatis leges migrare erubescunt. Non dicam eam legibus Divinis atque humanis esse contrariam. Hoc enim ex dictis ad oculum patet. In hoc tantum paucis inquiramus, an Episcopus auditores suos vel alios percussiens

(t) T. 4. Opp. f. 1480. (u) T. 2. Opp. in 1. Tim. 3, 3. f. 181. (x) Opp. p. 41. (y) in b. l.

tiens etiam decori leges violet, taleque quid committat, quod personam & officium suum dedeceat. Atque hoc quoque nemo facile, credo, in dubium vocabit. Si enim cuique bono & honesto viro omnes privatae & ex vindictae cupidine susceptae percussiones confictionesque opprobrio esse solent: quanto igitur magis illae Ecclesiae Ministro dedecori erunt. Imprimis enim Episcopum oportet esse irreprehensibilem, i. e. talem, cui nullum crimen merito objici possit, quod ad muneris dehonestationem faciat. Episcopi omnium fidelium totiusque gregis, ut in omnibus virtutibus, ita etiam in mansuetudine, patientia atque continentia exemplar esse debent. Vnde satis egregie hac de re Chrysostomus (z) scribit: *Eum, qui aliis praest, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis ceteros, veluti stellarum igniculos, suo fulgore obscuret.* Contrarium autem in Ecclesiae Ministro percussore offendimus: hic enim non virtutum suarum fulgore alios obscurat, sed potius, iudice Aegid. Hunnio (a), Ministerium ferocia sua deformat. Comparantur Ecclesiae Ministri cum Angelis, Pastoribus, Parentibus & Medicis: hos igitur si imitari volunt, quomodo in eos, qui fidei ac curae suae commissi sunt, favere, iisque plagas & vulnera infligere poterunt? Conferuntur etiam avis avium; his autem aves pullos suos protegere ab omnique injuria defendere, non autem percutere solent.

§. XXVII. Neque minus summae injustitiae atque impietatis Episcopus percussor argui potest. Injurius enim est in se ipsum & auditores suos, atque

Episcopus percussor injustitiae & impietatis argui potest,

(z) *Hom. 10. in 1. Tim. 3, 3. All. Rixnero Instruct. Mor. l. 2. c. 1. p. 445.* (a) *T. 4. Opp. Lat. in LL. CC. ad Tit. 1. 7. f. 835.*

ni servo in vitio est, si heri sui mandata exequi omnia-
 que ejusdem præcepta exacte observare recusat:
 quanto magis œconomus ac servus Dei, supremi hu-
 jus universi Domini præcepta negligens, impietatis
 accusandus erit. In Auditores autem injustus est,
 cum eos, quos Patris instar amare, quos fovere de-
 bet, odio habet & aspere dureque tractat. Sed quid
 de corporum afflictione dicam? imo iis non parvum
 scandalum præbet & exemplo suo ipsos ad similia
 peccata tacite invitat. Quantum exempla Antistitum
 sacrorum apud auditores valeant, præclare exprimit
 Ambrosius (b) *Nulli, inquit, illicitum esse videtur,
 quod ab Episcopis quasi licite perpetratur, id ipsum magis
 credunt homines esse laudabile, quicquid Episcopus habuerit
 delectabile, nec quisquam quod agere Pontifex non dubitat,
 se indubitanter agere dicat.* Atque hæc quoque est ra-
 tio præclari illius Hieronymi (c) moniti: *in te omni-
 um oculi diriguntur, quicquid feceris, id sibi omnes facien-
 dum putant; cave ne committas, quod aut qui reprehendere
 volunt, digne lacerasse videantur, aut qui imitari, cogantur
 relinquere.* Quapropter non immerito Gregorius Na-
 zianzenus (d) Episcopum dicit lucernam Ecclesiæ,
 per cujus mores puros vel impuros belle habeat vel
 laboret Ecclesiæ corpus. In se ipsum denique Epi-
 scopus percussor iniquus est, dum conscientiam suam
 violat, famae maculam inurit & denique gravissimis
 pœnis se obnoxium reddit. Quid enim aliud facit
 Ecclesiæ Minister ab illis peccatis, quorum ipse reus
 est,

(b) *All. Zieglero de Episcopis l. 4. c. l. p. 4.* (c) *In Epist.
 ad Heliod. all. Zieglero c. l.* (d) *Epist. 22. all. Zieglero
 c. l.*

est, auditores suos pœnarum temporalium & æternarum comminatione avocans, quam ut se ipsum condemnet? Rom. II, I. 18. 24. Quo pertinet illud Chryso-
stomi (e). *Bene docendo & bene vivendo populum instruis, quomodo vivere debeat: ne docendo & male vivendo Deum (& Magistratum) instruis, quomodo te debeat condemnare.*

§. XXVIII. Sed dices forsan, credibile non esse, tantæ ferociæ tantæque proterviæ inveniri Pastores, qui in auditores suos verberibus plagisque sævire non dubitent. Sed utinam non tam apud nos, quam apud Veteres ejusmodi invenirentur excessus! Sæculo 7. in Conc. Brach. III. (f) jam conquesti sunt Patres, *quosdam ex fratribus tantis cædibus in honoratos subditos efferuescere, quantas poterant latrocinantium promereri personæ.* Ac nisi sæpe priscis jam temporibus ejusmodi exempla occurrissent, quid opus fuisset, tot canones legesque hac de re condere? Dn. D. Luc. Bacmeisterus (g) meminit Pastoris cujusdam, qui sub administratione S. Cœnæ Rustico juveni colaphum impexit, ex quo hostiæ nonnullæ deciderunt in terram. Apud D. Spenerum (h) quoque mentio fit Pastoris, *welcher diejenige, zu welchen er einen Haß gehabt, aus blossen vergaltten Gemütthe unhöflich und unpriesterlich angefahren, geschimpffet und geschmähet, auch wohl gar geschlagen.* Sed quid veteribus illis
D exem-

An dentur
Episcopi
percusso-
res.

(e) Hom. 43. in Matth. all. Maio in Praxi pietatis Loco 16. p. 134.
(f) vide Jus Can. c. l. (g) Magni Lucae Bacmeisteri, Atavi mei, *cujus cineres veneror, filius in Fascic. quest. qu. 30.* (h) Theol. Bedenck. P. 1. c. 2. Art. 3. sect. 4. p. 605.

exemplis immoramur? Inexpertus rerum omnium fit oportet, qui nesciat, idem in Ecclesia quoque nostri temporis non raro contingere. Exempla, mihi & hic publice nota, in praesentia commemorare nolo.

Quomodo
puniendi
sint Epi-
scopi per-
cussores

§. XXIX. Cum igitur dari ejusmodi Ministros constat, operae pretium erit, paucis indigitare, quomodo puniendi sint. Apud Veteres ab officio eisdem removeri debuisse, ex canonibus supra allatis clarum est. Gregorius (i) quoque Andream, Episcopum quendam Tarentinum, qui alios verberaverat, ab officio suspendit. In Consistoriis nostris quidem poena arbitraria obtinet; plerumque autem criminis hujus rei, si non removeri, tamen ab officio suspendi solent. In casu illo a D. Bacmeistero recensito ita M. Colerus, Superintendens Parchimensis, adprobante D. Bacmeistero, judicat: *Sententia mea brevissime hæc est: in hoc negotio Ecclesiastico negligenter, irreverenter & scandalose pertractato, Pastorem hunc, præsertim si alias ipsum hominem levem esse deprehensum fuerit, aut ab officio prorsus removendum, aut ad minimum ad tempus suspendendum, eique pœnitentiam publicam injungendam. Nam hic non perponderanda ministerii ipsius dignitas & apud rusticos despectus, qui hinc oriri posset; sed potius maculae gravis ab ipso, venerando muneri Ecclesiastico contra conscientiam, cum non exiguo populi scandalo iniuste habenda est ratio. Ut interim auditores informentur, in magno pretio habendos pios Ecclesiae ministros, ipsosque reverenter tractandos, justum est.*

§. XXX.

(i) L. 2. Ep. 52. all. Espenceo f. 281.

§. XXX. Non autem, quæ hæcenus diximus, Qv. 1.
adeo absolute intelligenda sunt, ac si nullo prorsus
tempore nulloque in casu Episcopo alios percutere
liceat. Nonnullos igitur indigitabimus casus, in qui-
bus Ecclesiæ Ministro physicam percussione[m] per-
missam esse censemus. Quæritur itaque 1. An Mini-
ster Ecclesiæ ab aliquo auditorum suorum laesus ma-
nu vel alio quocunque instrumento, repercutere
possit? Ut recte ad hanc quæstionem responderi que-
at, ante omnia circumstantiæ considerandæ sunt. Si
enim quis Pastori suo unam vel alteram tantum, eam-
que non adeo gravem plagam infligeret, hic percuf-
forem verbis quidem redarguere, vel si his locus
amplius non est, ictus declinare, aliorum auxilio se
contra injuriam defendere, aut denique abire atque
petulantem in jus vocare potest; repercutere autem
non debet. Hoc ipso enim nihil aliud efficeret, quam
ut furor percussoris magis accenderetur, litesque cum
aliorum scandalo augerentur. Præterea non imitare-
tur exemplum Christi, qui percussus non repercussit.
Et denique non observaret mandatum Christi, Matth.
V, 39. Equidem ab ineptis eorum abhorreo delira-
mentis, qui hunc locum proprie intelligendum esse
somnia[n]t, ita, ut unum colaphum accipiens plures
expectare debeat. Hoc enim ipsa sana ratio vetat,
neque ab ipso Christo, Apostolis aliisque S. Viris fa-
ctum est. Sed hoc tantum dicitur, ab omni priva-
ta vindicta abstinendum, potiusque injuriam feren-
dam, quam injuria vindicandam esse. Si autem Mi-
nistrum Ecclesiæ violentus aggrediatur inuasor, a quo
nihil nisi mortem, mutilationem vel aliud quoddam
ingens damnum expectare possit, omnino vitam &

corpus suum vi atque armis defendere, imo si aliter se conferuare nequeat, aggressorem cum moderamine inculpatae tutelae interimere potest. Quod enim ipse Deus duce natura & sana ratione omnibus hominibus permisit, eo iis, qui sacro officio funguntur, non interdixit. Quod autem omnibus hominibus injustam vim vi repellere liceat, nemo sanae mentis compos, credo, in dubium vocabit. *Hoc, inquit Cicero (k), & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris natura ipsa praescipit, ut omnem semper vim, quacunque ope posset, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent. Si tempus est ullum jure homines necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo justum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur.* Breviter quidem, sed praecclare hac de re edisserit D. Joh. Franc. Buddeus (l). Praeterea id Petrus suo comprobatur exemplo, quippe qui nocturno tempore invasus, tacite adprobante Christo, se vitamque suam gladio defendit. Qua de re ante duos & quod excurrit annos Venerabilis Praeses meus (m) elegantissime egit. Minime igitur adprobare possumus Veteris Ecclesiae rigorem, de quo cl. Espencæus (n): *Consideratione dignum est, veteres Ecclesiasticos ab omni adeo humani sanguinis effusione abhorruisse, ut cum quantocunque inculpatae tutelae moderamine repercutientem, in clerum vix aut receperint aut receptum tolerarint.* Nicolaus consultus super clericis, qui se defendendo occiderint, num paenitentia emendati possent ad pristinum gradum redire: Nos, ait,

(k) In Orat. pro Milone, (l) in Phil. Pract. P. 2. c. 4. Sect. 2. de Officiis erga se ipsum §. 12. seq. p. 263. (m) in Disp. de Petro gladio accincto. (n) l. 2. c. 4. Digress. p. 182.

ait, nullam Clericis licentiam aut occasionem quemlibet hominem quolibet modo occidendi tribuere scito. Cur enim licentia, omnibus hominibus data, folis Clericis adimitur?

§. XXXI. Quaeritur 2. An possit minister ecclesiae servum vel famulum suum refractarium baculo ad officium adigere? Resp. quaestio omni dubio carebit, si modo cogitetur, quod cuique hero servum suum immorigerum verberibus coërcere liceat. Novimus enim servorum partes esse, ut heris obsequium praestent, & indefessa industria eorundem utilitati, reique familiari inserviant, Col. III. 22. Eph. VI. 5. 1. Pet. II. 18. Hoc suo officio autem si sponte fungi recusant, omnino verberibus ad illud adigi possunt, Proverb. XXIX. 19. 21. Sir. XXXIII. 25. sqq. Cap. XLII. 5. Idem autem etiam Episcopo licere, per se patet. *Jus*, inquit Danaeus (o), *patriae potestatis in liberos suos non amittit Episcopus propter hoc dictum* (1. Tim. III. 3.) *Pauli, neque jus suum in servos, quin eos moderate, cum res postulat, castigare etiam verberibus possit.* Bene autem Auctor adjecit, moderate & cum res postulat: hoc enim semper observandum esse, docet Apostolus Eph. VI. 9. Col. IV. 1. Sed jus illud, quod Ecclesiae Minister in servum suum habet, ad aedituum suum extendere non potest. Hic enim non Pastoris, sed Ecclesiae famulus est.

Quaestio
II.

§. XXXII. Quaeritur 3. An possit Minister Ecclesiae uxorem suam verberibus aut baculo in officio continere? Ad hanc quaestionem iterum facilius responderi poterit, si ante dispiciamus, an cuilibet ma-

Quaestio
III.

D 3

rito

(o) Opp. f. 46. in Tim. III.

rito uxorem suam verberibus coërcere liceat. Non autem quaeritur: an maritus uxorem ut servam tractare atque levi de causa verberare queat. Neque quaestio est: an in uxorem tyrannice saeviri liceat. Sed quaeritur: an tunc demum, cum uxor neque admonitionibus, neque reprehensionibus, neque pollicitationibus, neque comminationibus locum relinquit a marito leviter castigari, verberibusque officii sui admoneri possit. Id ex Moralis doctrinae Magistris nonnulli affirmant, sequentibus moti rationibus. 1. Quia maritus in uxorem imperium teneat, uxorem autem marito subjectam esse oporteat, Gen. III. 16. Eph. V. 22. Col. III. 18. 1. Pet. III. 1. Jam autem in quem quis imperium habet, eum vi in officio contineri possit. 2. Quia viro tanquam domino atque capiti familiae disciplina domestica demandata sit, qua suos ad honeste vivendum invitare, immorigeros autem coërcere debeat. (3) Quia petulans & turpiter vivens foemina viro opprobrio sit. 4. Quia melius sit, uxorem domi ob delicta sua a marito castigari, quam eam publice malitiae suae, conniventia mariti crescentis, poenas pendere. Sed cavere debere ajunt virum, ne hæc castigatio ex odio, vindictæ cupidine aliaque ejusmodi causa proficiscatur, sed tantummodo ad uxoris emendationem tendat, ac humanitatis comitatisque plena sit. Andr. Prüknerus (p) ad quaestionem: *An liceat marito uxorem peccantem verberibus coërcere?* respondet: *Licet si verbera sint moderata, h. e. in iis servetur modus pro ratione peccati admissi, & non nisi in casu extremæ necessitatis, cum monita omnia sint*

(p) in *Manuali 1000. Quaestionum*, Cent. 8. qu. 100. p. 419.

sint frustanea: non licet, si verbera sint immoderata, i. e. crudelia ac cruenta, cum ita affectum maritalem exuat. Neque Joh. Guil. Bayerus (q) hoc ipsum absolute illicitum esse adfirmare audeat. Operae pretium quoque erit, Gregor. Sayrum (r) audire. *Peccat, inquit, mortaliter maritus, si atrociter percutiat aut verberet uxorem, quia nec sicut servum caedere debet. Dixi atrociter quia potest leniter ex gravi necessitate & causa eam castigare, cum sit inferior viro, puta si notabiliter negligens sit in administratione domus, (quam in rem permulta testimonia adfert) intelligendum tamen est hoc, si admonita semel a marito, se emendare recusat. Alias cum sint duo in carne una, aequalitate quadam decet esse complexos & mutuo se amare & fovere debent, juxta illud Apost. Eph. V. & 1. Pet. III.* His rationibus pro affirmante quaestionis nostrae parte pugnant, moti, ut credo, extrema & detestabili quarundam foeminarum malitia, quam ad horrorem usque describit Siracides cap. XXV. 23. sqq. Sunt tamen, qui & negantem defendunt, ut pariter credo, bonarum foeminarum incomparabili virtute, quam non Ecclesiasticus tantum morum Doctor, sed ipse divinissimus per Salomonem Spiritus. Prov. XXXI. 10. seqq. iis coloribus & momentis describit, quibus nihil excellentius pretiosiusque excogitari potest. Et quamquam non ignorant, dari etiam proteruas & supra modum flagitiosas mulieres, nolunt tamen ad eum rigorem descendere, ut easdem mariti castigationi subbjciant. Quorum causam dum inter eos, qui a me visi sunt, omnium

(q) *Theol. Mor. p. 555.* (r) *in Clavi Reg. Sacerdotum Consc. l. 7. c. 7. 8. f. 419.*

mnum fusissime agat Altorfinae aliquando Academiae decus, Joh. Conr. Dürrius, verba ejus, quamquam paulo prolixiora (s), adducam. *Quid vero, inquit, si uxor aspera, si proterva, si rixosa sit, blandis adhortationibus & placidis consiliis locum non relinquens? In tali casu revocandum ad animum est praeceptum S. Chrysostrami in 1. Cor. Hom. 16. Dolendum est, non irascendum, & Deo supplicandum est, & ipsa admonenda & omni conatu adnitendum, ut illis liberetur adfectibus. Et illud B. Lutberi ad Sirac. Cap. 15. vers. ult. Hodie optimum est consilium, uti placidis verbis, & si illis nihil proficiatur, cetera patienter DEO committere. (Haec Lutherus) Quod si nec Deo toties precibus sollicitato pro arcano consilio placeat mitigare calamitatem, silentio illa tegatur, nec in aliorum & eorum praesertim notitiam venire permittatur, qui saepe dissidentium animos magis exacerbare & voluptatem etiam aliquam ex alienis aerumnis capere solent. Recte Lud. Vives lib. 2. de Christiana fam. Domestica mala domesticis parietibus ac limine cobibe, ne se foras efferant, ne serpant latius, sic moderatione tua commodiorem reddes conjugem, quam alias querimoniis & futilitate linguae exacerbaret. Qui posteriorem hanc sententiam defendunt, citra dubium dicent, omnium minime convenire castigationem uxoris realem Ecclesiae Ministro, qui non tantum a vitio omni, sed & a specie mali remotus esse debet; neque quamcunque occasionem praebere crudelibus uxorum suarum carnificibus, ut genio suo eo licentius indulgere & ad Pastoris exemplum provocare possint. Nos haec omnia sano maturoque lectoris judicio committimus.*

§. XXXIII.

(s) *Ibeol. Mor. Sect. 3. c. 2. §. 4.*

§. XXXIII. Quaeritur 4. An possit Minister Quaestio.
IV.
Ecclesiae in bello hostem non minus ac alii milites invadere & occidere? Resp. Ex ipsa quaestione facile adparet, non quaeri: an Minister Ecclesiae bello interesse & tanquam concionator castrensis vel alio S. officio fungens castra sequi possit. Neque quaeri: an ab hostibus invasus & circumventus pugna se defendere queat; sed quaeri: an extra summae necessitatis casum arma sumere & in praelio pugnare possit? Atque hoc negamus 1. Quia Minister Ecclesiae tanquam miles Christi, ut Duci suo placeat, omnia ea, quae officio suo impedimento esse possunt, fugere debet 2. Tim. II. 4. His autem militiam quoque adnumerandam esse, tam clarum est, ut nihil supra possit. 2. Quia Pastori cura animarum, non autem ordinarie (liceat hac voce uti) urbium & regionum demandata est, Hez. III. 17. Quilibet autem, in quo vocatus est, maneat, I. Cor. VII. 20. 24. I. Tim. IV. 15. 3. Pro nobis faciunt Canones Ecclesiae. In Apost. Can. 83. (t) dicitur: *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtineri volens, Romanum scilicet Magistratum & Sacerdotalem administrationem, deponatur. Quae sunt enim Caesaris, Caesari, & quae Dei, Deo.* Quem canonem non rejiciendum esse dicit Luc. Osiander in adjecta episcopi. Francica Synodus Dei fervis per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & hostem pergere omnino prohibuit, nisi solis ad diuinum ministerium &c. vide Espencaeum (u). Insuper armis militaribus & pugnis Clericis interdixera Apost. can. 64. (x), Concilium Toletanum (y) &
E ller-

(t) *T. 1. Conc. Ruelii* (u) *c. l. f. 187.* (x) *Tom. 1. Conc. p. 123.* (y) *vid. Io. Cor. Naevii Kirchen-Recht p. 35.*

llerdense (z). Bernhardus (a) dicit: *Clerici non est pugnare armis militantibus.* D. Casp. Zieglerus scripsit peculiarem Tractatum de Episcopo Milite, licet ipsi non tam de quolibet Ministro Verbi Divini, quam de Episcopis principibus sermo sit. Ex quibus facile judicari potest, quid de Zwinglio anno 1531. in proelio Heluetico trucidato habendum sit. God. Arnoldus (b) pro more suo hunc Haeresiarcham etiam excusat, de ejusque morte satis honorifice loquitur. Cui quoque Lamb. Danaeus (c) quasi parentare vel videtur. *Ministros Ecclesiae, inquit, interesse justis bellis & expedit & oportet. Sed & in acie ipsa & proelio versari possunt & dimicare, cum sancta & honesta causa belli suscipiendi fuit, non modo ad reliquum exercitum confirmandum, sed etiam ut Deus ipse invocetur & protervia insolentiaque militum reprimatur. Quare sunt omnino inepti, qui D. Zwinglium optimum (scilicet) Dei servum, & verbi ipsius praeconem egregium damnant, quod in aciem cum hostibus descendere, illicque dimicare ausus fuerit, id enim & bona conscientia in honesta belli causa potuit, & idem nunc quoque licet ceteris.* Quod ne frustra dixisse videatur, provocat ad Ambrosium (d), ex eoque haec recenset verba: *fortitudo, quae bello tuetur a Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est.* Ex quo tamen nihil aliud sequitur, quam quod homines ab officiis liberi militiae nomen dare, & illi quoque, qui officiis publicis funguntur, jussu Magistratus cum hostibus salva conscientia pugnare atque configere queant. Reliqua ejusdem argumenta probant

(z) vid. Danaeum f. 464. (a) Opp. f. 1399. (b) in der Kirchen und Rezer Hist. p. 2. l. 16. c. 31. §. 31. (c) in 1. Tim. III. f. 464. (d) Lib. I. de offic. l. 1. c. 7.

bant quidem, Verbi Divini Ministros exercitibus interesse debere, qui milites fidem pietatemque doceant, non autem, quod eos cum militibus pugnare oporteat.

§. XXXIV. Quæritur 5. An in casu summæ Qu. V.
necessitatis in urbe vel munimento Clerici adigi possint, ut arma sumant & locum cum aliorum invasione & trucidatione defendant, aut etiam in prælium exeant & cum hoste confligant? Resp. si ad tantas angustias urbs vel Resp. adducta est, ut sine clericorum auxilio peritura sit, illis autem opem ferentibus spes ejus conservandæ ostendatur, omnino Clerici ad arma sumenda adigi possunt. Nam 1. Clerici sunt subjecti Magistratui, ac jure divino ab illis oneribus, quæ quilibet civis sustinere debet, immunes non sunt. Privilegia autem, ab hominibus ipsis concessa, in necessitatis casu cessare possunt. 2. Clerici sunt membra Reip. adeoque ad ejusdem conservationem & defensionem adstricti. 3. Omnes homines lex naturæ & ipsa ratio jubet τῶν πλῆσιων, imprimis autem civium suorum bona & vitam contra invasores (de justo bello loquor) in summæ necessitatis casu defendere. Optime Cicero: (e) *injustitiæ duo genera sunt: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam.* Et (f): *Mihi non libet neque integrum est, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.* 4. Idem nobiscum adfirmat Joh. Car. Nacujus (g): *Ja es sind, inquit, die Geistlichen zur Zeit des Krieges und einer Belagerung auch von der Defension der Stadt und mune-*
E 2 *ribus*

(e) Off. l. 1. c. 7.
re Cler. c. 7. p. 514.

(f) Orat. pro Muræna.

(g) In Ju-

ribus personalibus nicht befreyet, sondern auch wie Greg. IX. in cap. 2. X. de immunitatibus Eccles. rescribiret, omnes ad hoc generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus melius valeat civitatis custodia procurari. Nec minus concinne Cajetanus (h): in necessitatis articulo Clericus pugnam non peccat. Legis enim positivæ eum a pugnis arcentis finis, bonum commune, temporale, spirituale, quod justo bello defenditur, præstat bono particulari, quo quis habilis est ad altaris ministerium. Bello defensivo justo (præsertim si cum infidelibus agitur) Clerici ut & Laici exercitum, civitatem, patriam ab hostibus evertendam & sine tali auxilio pereuntem manu etiam propria servare non modo possunt, sed etiam tenentur. D. Danhauerus (i) concedit quidem in V. T. in necessitatis casu Ministro Verbi licuisse militem esse, in N. T. autem licere negat. Sed equidem, salva tanti viri auctoritate, non video, quænam differentia obstet. Inepte autem hac de re Guil. Estius (k). *Licitum, inquit, illis (Levitis & sacerdotibus) prælio interesse & contra hostem pugnare, quia tales erant sacerdotes, qui cruenta tractarent sacrificia, non tamen ex lege tenebantur. Sacerdotibus autem novæ legis illicitum est, eo quod incruento sacrificio offerendo deputati, ideoque eos a cruore fundendo convenit esse maxime alienos. Nos enim cum Scriptura novam illam legem & sacrificia N. T. ignoramus. Quod si autem extrema non adsit necessitas, Clerici merito immunitatis jure gaudent. Et præterea etiam sermo nobis est de istiusmodi locis, in quibus Clericorum*

magnus

(h) All. Espenæo Opp. f. 184. Digr. l. 2. c. 5. (i) Tb. Consc. T. 1. p. 1027. (k) in Ann. ad præcipua Script. loca col. 118.

magnus quidam est numerus. Quapropter apud Lutheranos ob horum paucitatem ejusmodi casus non facile dabilis est.

§. XXXV. Quæritur 6. An Ministerii candidatus quousque nondum inauguratus est, cum altero vel baculo, vel gladio configere possit? Quæst. VI. Quilibet haud difficulter videt, de duellis & conflictionibus candidatorum Ministerii, si non gravius quid, idem tamen, quod de quibusvis duellis judicatur, pronuntiandum esse. Quid autem de duellis Theologi pariter & Moralistæ statuunt, tam notum est, quam quod notissimum. Quapropter non est, ut huic quæstioni immoremur, inprimis cum haud ita pridem de recto gladii usu a Venerabili Præsidente meo (1) tam eleganter tamque luculenter actum sit, ut si quis verbum addere vellet, ipsi soli lucem accendere videretur. Peculiarem quoque disputationem de Duellis scripsit Excell. Dn. D. Henr. Christ. Tielecke.

§. XXXVI. Quæritur 7. An possint Studiosi Qu. VII ad officium S. admitti, qui duellis cum aliis conflixerunt, aut alium occiderunt? Duplex hæc quæstio est, ut ordine igitur procedamus ad utrumque ejus membrum separatim respondemus. Et prius quidem quod attinet, Studiosus vocandus aut raro tantum, aggrediente forsan illum altero, & fere invitus duello cum eo contendit; aut per animi proteruitatem immanitatemque pessimis conflictionibus adsuevit. Si illud, ad Ministerium S. eum admitti posse, si de cetero honestæ piæque vitæ dederit operam, & pœnitentiam talis quoque excessus demonstraverit, aut

E 3

saltem

(1) in *Disp. de Petro gladio accincto* §. ult.

faltim habuerit, nullus dubito; imprimis si propter temporis diuturnitatem, locique longinquitatem Ecclesiæ hoc ipsum notum non sit, adeoque nullum scandalum metui debeat. Nam si omnes, qui ejusmodi quid illicitum in adolescentia sua commiserunt, ab officio S. excludi deberent, nescio, unde demum ministri ecclesiæ sumerentur. *Nullus enim, inquit Augustinus (m) in Ecclesia recte posset ordinari Minister, si dixisset Apostolus, si quis sine peccato, ubi ait, si quis sine crimine est.* Si autem hoc; iterum certæ circumstantiæ considerandæ erunt. Si enim pristinum vitiosum habitum sincera pietate emendavit, & ceteroquin ad officium aptus est, potest quidem, (licet non facile extra necessitatis casum) si omne scandalum evitari queat, ad S. Ministerium vocari. Quod si vero adhuc pristinis suis vitiis delectetur, merito officio S. arcendus est. Quanto enim crimini quantoque dedecori ecclesiæ ministro conflictiones & percussiones sint, ex supra dictis clarum est. Idem adfirmat D. Ægid. Hunnius (n) *Docemus, inquit, homines martiales & ad pugnas atque verbera pronos non esse cooptandos in ordinem ministrorum verbi. Deformant enim ministerium & nihil aut parum ædificant.*

Ad alterum quæstionis membrum respondetur distinguendo inter homicidium dolosum, culposum & casuale, ad quod illud quoque referendum esse videtur, quod fit cum moderamine inculpatae tutelæ. De ultimo genere, quod vix homicidium vocari potest, si quæstio intelligenda est, eos omnino ad S. Ministeri-

(m) *Lib. 1. contra duas Epist. pelag. c. 14. apud Balduinum in*
Lib. 1. 7. f. 1472. (n) *c. 1.*

nisterium vocari posse, dicendum est. Cum enim cuilibet homini violentum iuvasorem cum modamine inculpatae tutelae interficere licet, nulla ratio est, cur Studiosus hoc suo jure utens propterea ab officio S. arceri debeat; quamvis Casuistarum judicio melius faciat, si, quantum licite fieri potest, ultro a Ministerio Ecclesiae abstineat, aliudque vitae genus eligat, ne scilicet infirmis scandalum & veritatis hostibus calumniandi occasio detur. Illum autem, qui homicidii culpae aut dolosi crimine se contaminavit, & vel conuientia judicis, vel fuga ordinariam homicidii poenam evitavit, in Ministerium Ecclesiae eligi posse, Theologi merito negant. Facultas Theol. Jenensis (o) ad quaestionem: *Ob ein Studiosus Theologiae, der vor 12. Jahren einen entleibet, von selbiger Zeit aber sich wohl gehalten, mit gutem Gewissen zum Predigt-Ampt vociret werden könne?* respondit negando, quia nempe Studiosus ille probare non posset, se in terminis moderaminis inculp. tut. perstitisse, & coram judicio a crimine & poena homicidii absolutum esse. Hoc autem cum probatum fuerit, eum omnino vocari posse. Argumenta, quae pro sententia sua adducunt Theologi Jenenses, haec sunt. 1. Quia Episcopum oportet esse irreprehensibilem. 2. Quia debet bonum testimonium habere ab extraneis. 3. Quia pastor homicida auditoribus contemptui foret. 4. Quia Ministerium S. adversariorum calumniis expositurus, & 5. Ecclesiae suae scandalum praebiturus esset. Lamb. Danaeus (p) dicit: *Peccata in futuro Episcopo inesse possunt, crimina in eo nulla inesse vel tolerari debent. Itaque si quis sit homicida, Episcopus ne eligitor: electus per ignorantiam deponitor, ut est in Agathensi Concilio can. 50. & in can. si Episcopus distinct. 50. idemque Ambrosius docet Epist. 82.* Excipi tamen hic iterum debent necessitatis casus, ubi alii ministri haberi nequeunt, atque si de vocationis Divinitate certissime constet, aliaeque circumstantiae, quae etiam hic rem variare possunt.

§. XXXVII. Qu. denique 8. An minister ecclesiae in domo sua ab auditorum quodam, aut alio durioribus & contumeliosis verbis
F
invasus,


Quaestio.
VIII.

(n) *vid. Grubert app. ad Deaek. Consil. f. 455. (p) f. 456.*

invasus, ejusdem petulantiam minis reprimere, vel si his locus non relinquitur, eum advocato servo domo pellere possit? Qua de re ut eo melius judicari queat, notandum erit, permagnum inter comminationes esse discrimen. Aut enim quis alteri mortem, vulnera, vel aliud quoddam malum, additis non raro diris & execrationibus, minitatur: aut minatur tantum, sive praedicat potius poenam illam, quae ejusdem petulantiam secutura sit, atque eiusmodi minationibus eum mitigare, a vitiisque deterrere studet. De priori minarum genere si quaestio est, nemo dubitabit, quin eae Ministro Ecclesiae non minori sint dedecori, quam cuivis viro honesto. Fac enim, quendam ultra minas procedere nolle, nihilo tamen minus quisque, ut ex quibusvis verbis, ita etiam ex minis de ipso animo & voluntate iudicabit. De posteriori autem minationum genere si sermo est, etiam pastorem iisdem delinquentes terrire & posse & debere, in aprico positum est. Alterum quaestionis membrum quod attinet, etiam hoc certo in casu concedi posse videtur, si nempe impudens ille nullis verbis nullaque prorsus ratione commotus convitiis & jurgiis finem facere aut loco cedere velit. Nam ipsa ratio nos docet, cuique quietam habitationem concedendam esse. Hanc autem si quis quocunque modo turbare velit, omnino domo arceri, aut si eam jam ingressus est, eadem pelli potest. Accedit, quod is, qui petulantem convitiatorem domo excludit, non tam injuriam facit, quam contra injuriam se domumque suam tuetur. Sed caveat Ecclesiae Minister, ne adeo facile ejusmodi utatur mediis, sed potius patientia, comitate & lenitate, quam vi atque asperitate suos in officio continere & errantes corrigere studeat.

Epilogus.

§. XXXVIII. Atque haec sunt, quae in praesentia de CLERICO PERCVSSORE dicenda habui. Inter quae si nonnulla minus forsan concinne minusque accurate dicta sunt, Benev. Lect. ea mitiorem in partem interpretari velit, maximopere etiam atque etiam rogo. Quod reliquum est, supremum numen supplex veneror, velit omnibus, quotquot S. Ministerio praesunt, ad illudque adspirant, Spiritus sui Sancti gratia adesse, ut hoc tam impium, tam injustum tam foedum legibusque divinis & humanis contrarium percussio- nis vitium sedulo fugiant, atque ita vivant, ut aliquando in justo Dei judicio irreprehensibilis vitae gloriam reportare queant.



NOBILISSIMO ET CLARISSIMO HVIVS
DISPV TATIONIS AVCTORI,
DN. JACOBO HARDE RO.

UT cum animum manumque Disputationi Tuæ adponeres, studium Tuum curaque in perquirendis iis, quæ ad argumenti Tui elaborationem quocunque modo facere videbantur, non tam in admirationem me, quam, pene dixerim, stuporem adduxit: nec enim credo, vel ullam in universa bibliotheca mea pagellam, quam non excuteret, a Te relictam esse, quin & collectanea mihi Tua testabantur, aliorum quoque rem liberariam Te consuluisse & sedulæ indefessæque apis ad instar undecunque corrogasse, quod vel iudicium Tuum acuere, vel ad rem facere alia quacunque ratione videbatur: ita non minori cum voluptate disputationem ipsam, cum proprio Marte elaboratam mihi offerres, sum complexus. Rari enim res exempli est ab ea, in qua constitutus es, ætate, studiorumque, quod nondum adeo longo tempore decurristi, stadio, factum prodire, ab ingenio laudabilem & iudicio nequaquam immaturum. Quare non dubito, isthoc Te documento & Patronis Tuis, qui Te mihi sollicitè commendarunt, collocati hic temporis gratam acceptamque rationem redditurum esse, & dignum omnibus visum iri, cuius honestissimos laudabilesque conatus, & expectationem, quam patriæ Tuæ facis, nequaquam vulgarem, non sustentent tantum, sed provehant & deducant ad maturitatem. Quod ut felici cum successu, publicique egregii fructu fiat, DEUM summum omnium consiliorum nostrorum rectorem imploro. Vale. Scrib. XXII. Novembr. MDCCIIX.

JOH. FECHT, D.
DISPV T. PRAESES.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DNO. JACOBO HARDERO,
DOMINO AUDITORI,
DOMESTICO ATQVE COMMENSALI SVO LONGE
HONORATISSIMO, DILECTISSIMO
S. P.

STudia moralia in Academiis negligi, magno strepitu clamitant ii, qui sub pietatis praetextu pestilentissimos errores aliis instillare non verentur. Quotidiana ipsis reclamitat experientia. Doctores, qui pietatem colunt pietismum detestantur, non tantum in Collegiis privatis, verum etiam publicis scriptis ea, quæ ad formandos hominum mores faciunt, summa exponunt diligentia; improbant vero jure merito Indifferentistarum conatus, qui verum de DEO sensum nimis frivole negligentes, cultum DEI tantum urgent. Sub hac enim larva pessimorum hæreticorum cohors latitare potest. Ipsa certe sana ratio comprobatur: Verum DEI cultum praesupponere verum de DEO sensum. Idque, Doctissime HARDERE, ex eo tempore, quo Academiae nostrae Alumnus fuisti, singulari prorsus studio confirmare adlaborasti. Testatur hoc incomparabile Ecclesiae nostrae Lumen Dn. D. Fechtius, Venerandus noster in Christo Pater; Cui testimonio sufficientissimo, ut quaecumque meum adderem suffragium, humanissimis expetiisti verbis. Nec volui, nec potui desiderio tuto deesse. Fas omnino æquumque esset in laudes tuas excurrere, sed cum illas nec pagina hæc capiat, nec modestia tua desideret, silere malo. Diligentia tua morumque suavitas omnibus nota pro te loquitur. Loquitur pro te erudita de CLERICO PERCVSSORE Disputatio, quam benevole eruditorum censurae subicere constituisti. Nullus dubito, quin aliquando orbis literati singulare Decus sis futurus. Annuat piis conatibus Benignissimum Numen! Dab. Rostoch. inter varias occupationes d. 26. Novembr. A. MDCCVIII.

TUAE CLARITATI
ADDICTISSIMUS
GEORG. FRID. Niehencf, SS. Th. Lic.

Coll. diss. A. 32, misc. 42